

ius rei. Vt exempli causa: Pono quòd dominus secundæ domus, esset Saturnus, fortis in angulo, in domicilio proprio, & aspiceret partem fortunæ ex trino in termino fortunæ, quoniam sic significaret diuitias multas. Sed si Venus domina secundæ domus, etiam domina partis fortunæ retrograda & infausta sit, significat quòd natus iste sic dispergeret, & comminueret acq̄sita, ut parum uel nihil ad suum transferret commodum. Sic etiam pars substantiæ in angulo septimæ domus salua, substantiam plurimam ratione mulierum, & inimicorum manifestorum adduceret, sed oppositio domini sui retrogradi, significat & huius dissipationem. Isto modo erit etiam agendum in alijs.

Si contingeret quòd unus ex significatoribus diuitiarum male esset dispositus, & caderet in quartam domum, in hoc casu iudicandum esset infortunium quartæ domus, quòd ita si contingeret, tunc considera essentiam, partem & dispositionem dicti infortunati significatoris, & secundum eius naturam in dicto signo & domo, infortunium illud pronuncia, & secundum naturam alterius significatoris, bene fortunati, dic bonum. Hæc omnia ita singulariter describere tædiosum foret, nam ea omnia sagax & perspicax intellectus bene distinguere, & componere potest.

Si aliquis malorum aspexerit significatorem, & ambo fuerint retrogradi, cadentes, & peregrini, in signis contrarijs naturæ ipsorum, erit natus in perpetuum mendicus & pauper.

Pars fortunæ damnata in duodecima domo significat longam miseriam.

Significator diuitiarum, in septima à domo sua, uel in opposito domini ascendentis, non significat lucrum ex significatis illius domus, sed potius damnum & expensas.

Si Scorpio in ascendente fuerit, natus non habebit fortunam in Ecclesia Romana, propter Cancrum, exaltationem Iouis, qui habet naturaliter significata in Clericos, qui erit tunc in nona domo, Nam Iupiter est inimicus Martis, qui est dominus ascendentis. Experimentum habes in genitura doctissimi uiri M. Ioannis Regiomontani.

Octaua domus uel eius dominus impediti, significant quòd natus damno afficietur causa mortis alicuius mulieris, cuius dotem cogetur restituere cum damno.

Si Gemini aut Virgo in ascendente fuerint, poterit amittere substantiã suam.

Si Aries, Scorpio, Capricornus, uel Aquarius, in aliqua natiuitate ascenderint, natus erit auarus, miserrimus, & horrendus. At si Iupiter tunc ascendens aspexerit, minuet de illa miseria, non tamen tollet eam.

Duæ infortunæ in termino quartæ domus, uel si anguli natiuitatis fuerint signa mobilia, & Saturnus & Mars in eis, natus erit pauper, miser, & infortunatus, nisi contra operaretur Iupiter uel domini triplicitatis ascendentis.

Non congregabit pecuniam, nec thesaurizabit, nisi ille cuius ascendentis dominus, & dominus quartæ fuerit idem planeta, sicut non lucrabitur pecunias nec diuitias, nec uiuet splendide nisi cuius dominus ascendentis, & dominus Mediæ cœli fuerit idem planeta.

Auarus erit, qui ex infortunis, uel ex domibus infortunarum significatum habuerit suarum diuitiarum.

Non erit auarus qui ex Sole uel Luna significatum diuitiarum habuerit.

Auarus erit, qui habuerit Saturnum & Martem in septima uel duodecima coniunctos.

Si Luna in octaua fuerit, & dominus ascendentis in ascendente, uel in secunda uel in duodecima retrogradus, non habebit fortunam in ludo taxillorum.

Si dominus secundæ in septima fuerit, & si in septima fuerit Aries, Scorpio, Capricornus, uel Aquarius, inimici nati auferent ei bona sua, uel socij, uel amariæ suæ,
ue]